

tiones peccatorum ipsorum : unde Job , & Martyres , quæ passî sunt , propter sua peccata passî sunt . Bajani enim non agnoscentes , Deum charos suos ex misericordia , & ad augmentum meritorum affligere , ut exerceatur illorum patientia , uti in Job ; ut experiatur illorum fortitudo , ut in Martyribus ; & ut omnia ista admirentur in sua Sanctissima Matre , quæ est omnium virtutum exemplar , afflictiones etiam Sanctorum autumant esse poenas , quibus Deus justus Judex peccata castigat ; non advertentes ad id , quod Raphael Tobiaë dixit : quia acceptus eras Deo , necesse fuit , ut tentatio probaret te . (Tobiaë 12.) Quare fulmen damnationis non cadit supra primam partem propositionis septuagesima tertiae , quæ enuntiatur , sed supra secundam , quæ si non studiose , saltem inconfidèrate occultatur .

XXIII. Dum hæc scribebamus , præ manibus venit alter supplex libellus nomine Theologorum Regis Catholici Clementi XII. porrectus , vel porrigendus , cui titulus : *Humilis deprecatio ad Sanctissimum Dominum nostrum Clementem XII.* In isto petitur , quod in præcedenti , & ingenti apparatu convalidatur petitio , & quasi violenter extorquetur . Ultra Bullas Bullarii Romani enuntiantur quamplurimæ auctoritates Sacræ Scripturæ , & Conciliorum , & Patrum , quæ sine numero congeruntur ; jam punctum decisum decantant , causamque finitam ex celebri Bulla Alexandri VII. , & ex illa Clementis XI. , quæ de præcepto instituit Festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ . Si hæc in factò subsistunt , quid ultra quærunt ? Si rationes , quas congerunt , convincunt articulum esse jam definitum , quare novam definitionem exquirunt ? Et si farrago illa auctoritatum rem uti inconcussam reddit , quid opus illam de novo excutere ?

Si supplicantes non essent viri probi , suspicandum foret , quod ex libidine garriendi , & insultandi auctoribus , & scholis , quæ illorum sententiæ non adhæserunt , tam enixe definitionem exquirerent . Motivum suspicionis fundatur in simili eventu . Quando Clemens XI. per Constitutionem *Uni-*
geni-